



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Provincia Bætica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67721)

nuerunt sacerdotes nostros ne venirent ad se, quod ad alias difficultates & incommoda, accederet hospitij inopia: quibus illi responderunt, gratissimam sibi fuisse eorum voluntatem; nihil tamen esse, cur de hospitio laborarent: sibi enim non defuturum tugurium aliquod, panisque frustula, si hospitalis pauperum domus forte deficeret. Vix autem vtrumque ingressi sunt oppidum, cum liberaliter pro more nostro excepti; in vno quidem à vidua seniore, in altero vero ab ijs ipsis, à quibus paulo ante arcebantur. Alibi etiam dæmonis administri vulgauerant, vagos nos esse & exules, & eiusmodi vitæ genus sectari, & alia permulta his similia, non sine graui Societatis nota, quam nostrorum facile deleuit aduentus. Res familiaris amplificata, legatis testamento possessionibus, quæ aureis mille quingentis æstimantur. Ad victum vero quotidianum abunde nobis suppetunt omnia, benignitate tum ciuitatis, tum vicinorum oppidorum.



P R O V I N C I A

B Æ T I C A.

A L V I T hæc Prouincia Socios duos supra quingentos, duodeuiginti domicilijs, Domo Professorum vna, Collegijs quindecim, Residentia vna, Seminario vno. In Hispalensi Professorum domo, duo de septuaginta; in Collegio D. Ermenegildi, septuaginta duo;

duo; In Seminario Anglicano decem; in Cordubensi Collegio duo supra septuaginta; in Granatensi quinquaginta sex; in Montellano cui adiunctum tyrocinium, sexaginta; in Malacensi viginti plus vno; in Baëzano quindecim; in Marcenensi & Triguerensi, utrobique septemdecim; in Astigitano viginti duo; in Xerensi duodecim; in Gaditano quatuordecim; totidem in Cazorlano; in Vbedano septem; in Frexenalensi duodecim; in Guadixiensi quinque; in Residencia Antiquariensi octo; Nomen dedere Societati sex & quadraginta; viginti summum obire diem.

D O M V S P R O F E S S O -
R V M H I S P A L E N S I S .

VT à festo Dominicæ circuncisionis die secunda captemus auspicia, magno is frequentium Hispalensium concursu, celebrique pompa peractus. Illustrissimus Cardinalis interfuit; qui & præsentia sua, & sacro, Pontificio ritu ac ceremonijs facto, diei celebritatem imprimis auxit. Quin & apud nos eadem die, singularis humanitatis ergo pransurus, omnia ad epulum necessaria, è domo sua sibi, nostrisque omnibus iussit afferri. Inter alios laborum nostrorum fructus hi censentur: Femina, non minus corporis dotibus, quàm animi turpitudine in signis, complures iam annos in pellicatu, atque adeo intra eisdem cum impuro amatore parietes, pessimo aliorum documento vixerat: Quam ille maximis alebat sumptibus; & ancillarum, puerorumque cinxerat comitatu:

Hæc,

Hæc, cum vni forte è nostris, pro concione acriter in vitia inuehenti, daret aures; manus tandem Deo ad sese reuocanti dedit: & inueteratæ libidinis deprecatione resipiscens, purioris vitæ in eundæ mentem firmissimam induit. Haud mora: vix dum finita concione sacerdotem adit, animi sui complicatam notionem euoluit; orat & obsecrat, vti sibi sceleribus coopertæ ferat opem: confirmat millies se potius oppetituram mortem, quàm pedem semel è templi limine amplius elaturam (id erat nimirum sacro monialium virginum domicilio continens.) Nec præstitam fefellit fidem: perstat ibi, pernoctatque ad sequentem lucem; vt inde vulneri medicinam petat, vbi salubre vulnus accepit. Accito igitur rursus in templum concionatore, antea vitæ sordes maximo sensu apud eum deterget: eiusque interuentu in monialium numerum mox cooptata, eo reliquis illustriori virtutum documento fuit, quò scelerum antea fuerat deteriori. Similem salutis exitum, non dissimilis viuendi ratio fuit in viro quodam sortita. Is septemdecim iam annos in turpivitorum cæno volutatus misere iacuerat, vel vnius sceleris pudore præpeditus; cuius fæditas ipsa, illum à ceterorum confessione penitus auerterat. Cumque ad repetendum peccatum secundo animû appelleret, vox sibi immissa diuinitus, Tene (inquit) in dæmonis potestatem nefando mancipio tradi, qui obsequentissimus Dei præceptis esse debeas? Exin diuinum numen ærumnis vexare hominem, premere angoribus, & acerrimis conscientiæ stimulis agitare. Hispalim tandem ad diuersorium concedit. Ibi dum afflictus, mærensque alta deprauatæ consuetudinis cogitatione

tione defixus heret, tetrum ipsius oculis obijcitur
 spectrum; simulque funesta hæc vox fertur ad au-
 res; Quid agis miser? quin afflictam iam & ærum-
 nosam vitam laqueo finis? Ea scilicet tibi reliqua
 salutis spes est. Paret ille actutum tam nefario
 consilio; iamque restim è diuersorij ianua appen-
 derat (hanc sibi infelix pro patibulo elegerat ad
 suspendium) cum ecce tibi libranti sese, & collum
 in laqueum inferere conanti, tantum subito pon-
 dus ceruicem, humerosque depressit, vt nec ca-
 put attollere, ne dum induere in nodum villo pacto
 potuerit. Desistit à suspendio inuitus: sed callidus
 veterator ab incepta non desistit oppugnatione.
 Hortatur, inducitque hominem, vt de ponte in
 subterfluentem se Bathin deijciat. Nihilo segnior
 rem prope executioni mandat: pontem adit:
 quo vbi peruenit, instantem adhuc sibi vocem,
 & moras increpantem exaudit. Quid plura? It
 miser in præceps. Sed in ipso casu Beatissima sibi
 Virgo, cuius fuerat Conceptioni imprimis addi-
 ctus, in cærulea palla repente visa: quæ labentem
 manu prensans, Fili (inquit) ne id feceris: quo
 dicto disparuit. Ille è graui veluti somno exper-
 rectus, animaduertit in superiori se ponte, vnde
 præceps sponte deciderat, nec opinatò sedere.
 Mox ad sese rediens, scelerata mente deposita, sa-
 lubrius inuit de vita instituenda consilium. Verum
 dum inter spem ac metum dubius adhuc, anceps
 que fluctuat; sacerdotis nostri concione permo-
 tus, animum graui peccatorum sarcina exonera-
 uit, simulque tranquillus mansit in posterum. Al-
 lius denique ad confessarij nostri pedes prouolu-
 tus, quod medicinam eo pacto in desperato mor-
 bo facilè se assequi posse dicebat; sacerdotis le-
 nitate

nitate ac blanditijs ad conscientiaē nodos extri-
 candos adductus, asserit se quadraginta iam an-
 nos natum, Genevæ altum educatumque, in va-
 rijs detestandæ hereseos erroribus totos traduxif-
 se; diuino tandem nuru ac numine alliciente, ob
 miranda quædã & prodigiosa facinora, quæ de ca-
 tholica religione passim iactata ad eius aures per-
 crebuerant, Hispaniã tandem cogitasse veræ fidei
 documentis imbuendum: biennium ibi posuisse,
 rimandis Catholicorum moribus cum primis at-
 tentum: id quò cautius præstaret, sartoris fun-
 cturum munere, in quodam Societatis Collegio
 aliquamdiu commoratum. Hic pijs nostrorum
 meditationibus, exemplisque curiosius inspectis,
 in suscepta nostræ fidei mente penitus confirma-
 tum; & idcirco petijssse Hispalim, vt aptam iniret
 rationem, quò hæreticorum insanias facilius ef-
 fugeret: Quamobrem enixè se petere atque con-
 tendere, vt tot scelerum sentinaim apud ipsum li-
 ceat per confessionem exhaurire. Annuir ille li-
 bentissimè: hominem dictis permulcet, de totius
 vitæ peccatis patienter audit, multosque vanæ
 superstitionis errores dilucide refutat. Res erat
 eiusmodi, de qua ad sacræ fidei Quæsitores esset
 necessariò referendum, vt eum excommunicati-
 onis nexu, quo tenebatur implicitus, explicarent.
 Illi pro singulari, qua pollent, facilitate ac cle-
 mentia, rei instituendi & absoluendi copiam sa-
 cerdoti nostro fecerunt. Qui salutaribus fidei præ-
 ceptis atque doctrina imbutum, è pontificia for-
 mula ritè conceptis verbis expiauit. Iuuat ali-
 quando, obuios etiam ignotos ad confessionem
 inuitare. Quidam è nostris sacerdos ignotum ho-
 minem sibi forte occurrentem, quamdiu se à con-
 fitendo

N

fitendo

fitendo abstinuisset interrogauit, & ad retegenda, si luberet, peccata, subridens inuitauit. Nec frustra: Accepit ille conditionem; postridie domum adijt nostram; sacerdotem iussit acciri; cui ingenuè fassus est, se multos iam annos animi *labes* non deterfisse, & quidem multo plures fictè, ac simulatè eluisse. Id quod decurso totius *vix* tempore tum demum verè, solideque præstitit, Deo nimirum ex importuna sacerdotis admonitione, opportunā eius salutis occasionem captante. Voluntariæ corporis verberationes in templo nostro interdum haberi solitæ (id bis minimum in hebdomada; per quadagesimam vero singulis ferme diebus factitatur) adeo confluentium numero pariter ac pietate prouehuntur; ut eis, quæ hunc in vsum asseruantur, scuticis, quadringentas omnino addere fuerit opus, vix tantè multitudini suffecturas. Fidei Quæsitores nostrorum maxime desudauit industria, qui, quam de nostris existimationem conceperant, perspicuis argumentis testati sunt. Cum enim celeberrimum esset fidei iudicium habendum, à nobis extorsere precibus, ut sanctissimæ Crucis vexillum, in ipso diei peruigilio solemnè religiosorum omnium, clericorumque pompæ deferendum, nos etiam ad publicum vsque prosequeremur suggestum. Atque illi benevolentia & gratificationis ergo, vnum è nostris, qui apud eos censoris munus obibat, gestandæ Cruci præfecerunt, magnæ totius Societatis prædicatione. Duæ item mulierculæ, quæ abnegato perfidiæ crimine, quo tenebantur constrictæ, obfirmata mente ad ignem se damnari patiebantur; nostrorum suasionem & scelus confessæ, & è medijs pæne flammis ereptæ.

Hispa-

Hispalensium in nos liberalitas quò clarius hocce anno illuxit, eò plures aluit ex nostris, crescente nimirum tyronum numero. Quin imo ad ingentem tabulam satis, superque est; quæ miro picturæ decore ac varietate, multiplici auri, argenti, colorumque ornatu distincta, ad aram maximam propediem collocanda elaboratur. Opus, siue artis splendorem, siue picturæ magnitudinem spectes; quod, peritiorum iudicio, cum optimis quibusque de palmæ dignitate decertet. Præcipuum domus atrium nostrorum muneribus, & externorum communioni destinatum, haud exiguum accepit incrementum; visendis martyrum Societate picturis, vndique per ordinem dispositis. Multorum beneficentia in rem sacram augendam diligenter incubuit. Etenim præter nouies mille argenteos, quibus serica ac cerea sacrum in usum collata æstimantur; nobilis femina Societati nostræ prorsus deuota, Patris nostri effigiem in ampla satis tabula, pictoris egregij penicillo exprimi iussit. Huic peculiaris ara in templo nostro dicata: vestes præterea politissimæ ex serico, auroque textili, ab eadem femina aræ conuestiendæ dono datæ. Quibus omnibus affabrè & accuratè perficiendis, quadringentos supra mille aureos liberalissime numerauit. Huc plurimus fit ciuium, frequensque concursus, opem à parente nostro afflictis in rebus implorantium; vt ex cereis candelis, quæ ad eius altaria succensæ visuntur, liquido constat. In his præclara genere & pietate mulier, quò nocte, dieque ornatus ara perenni lucis fulgore colluceat; pulcherrimam ex argento lampada (ea quadringentos septuaginta tres pendit argenteos) necnon oleum in annuos sumptus

sumptus necessarium copiose donauit. Regit hæc domus duas Sodalitates: Vnam Clericorum, alteram Nobilium. Floret vtraque numero & pietate. Prior centum quadraginta continet. E quibus haud abs re fuerit vnus vita functi virtutem, & conformia Sodalitati exercitia strictim commemorare. Erat ei in more singulis ferme diebus publica valetudinaria adire, ægris & cibos ministrare, & lectos sternere, & dulci alloquio morbi vim atque dolorem lenire; nullum denique non mouere lapidem, quo inueterati vitiorum frutices radicibus præciderentur. Ea propter Regium imperauit edictum; ne festis diebus, aut infames lustris paterent fores, aut meretriculæ foras (vt assolent) quæstui faciendo prodirent. Quare hisce diebus per lictores, per sacerdotes, per spectata probitate senes, quos secum ad id conuectabat, detestandas libidines inhibebat acerrimè. Atque hic paulatim mos, ab eodem in vniuersam deinde Sodalitatem profectus, magna tum laude, tum utilitate retinetur. Dum igitur his charitatis officijs strenuam nauat operam; dum rigente hyemis glacie, dum sæuiente æstiu solis ardore, per agros & suburbia, dispersa passim scorta à turpi lucro reuocaturus indagat; extremum tandem morbum, vitæ felicioris auspiciam contraxit. Ad eius cohonestandas exequias, plurimi ex tota vrbe, vni cum Sodalibus confluxere; qui demortui pedibus tenerrima cum lachrymis oscula, summam sanctitatis existimationem indicantia, certatimangebant. Huius exemplum plures ex Sodalibus secuti, celebrioribus præsertim diebus, lupanar ad-eunt, aram excitant, sericis vndique aulais conuestiunt; quò miseræ mulierculæ concionem, quæ ad

ad eas haberi solet, auidius exaudiant. Credas
 terribilissimum dæmonis prostibulum, in religiosum
 sacellum repente immutatum. Hisce pietatis arti-
 bus, plures earum felici fraude capiuntur. Sæpe
 cunctæ simul, scelerum dolore & stimulis adactæ,
 sequenti sibi nocte ianuas præcludi iubent, vt à
 peccatis abstineant, & veniam ab infenso Deo,
 prece exposcant. Dum sacerdos ex illis ad eos, qui
 premuntur compedibus, concionatur, ecce tibi
 prouecta ætate homo confessionis ergo, nec sine
 lachrymis, ad eius se abijcit pedes, Verum com-
 munem confitendi formulam præmittere de mo-
 re iussus, ignorationem obtendit; quippe quod
 totius vitæ curriculo vix ter, idque obiter & per-
 functoriè præstiterit, cum sacra se Eucharistia nè
 vix quidem refecerit: sed singularis Dei commise-
 ratio perditum, ac pænè desperatum, laruis & ter-
 roribus ad rectum virtutis tramitem cœperat re-
 uocare. Quinta enim præcesserat nox, cum insom-
 nis vigilansque intra domesticos parietes, ingen-
 tem strepitum ac fragorem auribus attonitus
 hauserat, horrendo clamore vociferantium: Hic
 iam noster est, nec manus effugiet nostras. Hæc
 inter, ignoti viri noua forma ad eum cursim acce-
 dens, candenti ferro, inusitatas notas, in eandem
 sententiam dorso impresserat. Quo ex congressu
 semiustulata terga, vt possent nonnihil refrigera-
 ri, nuda applicari ad parietem frequentius opus
 erat. Tremor, horrorque hominem prorsus inua-
 serant; quæ tandem, vnâ cum graui scelerum pon-
 dere, per confessionem deposuit. Inter alia pieta-
 tis munia, quæ Sodalitas hæc fructuosius obit; il-
 lud vel maximè annumerandum. Bacchanalium
 dies, vt scelera plurima arceantur, lætitiæ & vo-

luptatis prætextu patrari solita, apparatussimè ac magnificentissimè peragunt. Id quo sollemnius fiat, Conceptæ sine labe Virginis festû, cuius subscribere nomini, in eas reijciunt ferias. Pretiosis peristromatis ornantur parietes, tapetibus pavimentum sternitur, suauissimi afflantur odores, templum ipsum assiduo neruorum, vocum, tibiarumque perfonat cantu: nobilissimi quique invitantur, conciones per hosce dies, vespere præsertim, habentur à nostris. Quo vulgus innumerum acciti, & illecti, à blanda voluptatum titillatione facilè ad domus nostræ, rerumque sacrarum frequentationem abducuntur; vtque tantum opus felicibus auspicijs cœptum, solidiori nitatur fundamento, ex eadem Sodalitate Sacerdos, qui popularis auræ fugiens, proprium suppressi voluit nomen, centenos aureos quotannis eidem prouehendo designauit. Iam quod ad corporis castigationes spectat, ea cura studioque assumuntur, vtorum multi parochi, laudabilem satis consuetudinem se acriter bis in hebdomada verberandi, in suos tribules inuexerint. Alij pueris, fidei documentis sedulo imbuendis, se totos penitus dicarunt. Hæc de Clericorum Sodalitate. Eadem ferme de Nobilium dici possent; sed ne tædio afficiant iterata, missa facio. Augetur in dies Sodalium & numero, & animi ardore. In his Dynastæ, ac principes viri; qui quo plus generis splendor antecellunt, eo ceteros efficacius ad sui imitationem trahunt. Singulis mensibus, festisque celebrioribus, cælesti se ferculo propalam reficiunt: multi tamè quintodecimo, nonnulli octauo quoque die Eucharistiam frequentant. Semel per hebdomadam à nostro Sacerdote, seorsum ad virtutem

tutem pia cohortatione excitantur. Ægrotis, miserisque ope subueniunt; nec reliqua interim charitatis officia prætermittunt. Illustrissimus Cardinalis huiusce Urbis Antistes, & optimè de Societate meritis, nostrorum hominum scientiam & vitæ integritatem, vt par est, suspiciens, vnum sibi ex eis à confessionibus substituit. Eorum insuper examinandi curam, qui sacris initiantur ordinibus, quique sunt in priuatas parœcias destinandi, nostris commisit. Idem cum ceteris in rebus nostrorum opera & industria vtitur; tum in ea potissimum Synodo, quam in templo maximo Hispalensi, ad rerum sacrarum instaurationem indixit. Nam & saluberrima, quæ sanciuit, decreta, multo antè nonnullis nostrorum impertijt; & ea ipsa die, à Sacerdote nostro, concionem in templo maximo fieri voluit, quam vna cum Synodi decretis, typis iussit postea mandari. Claudent professæ domus seriem, qui mortalis vitæ cursum feliciter consummatum clausere. Quatuor ij fuerunt; ex quibus vnus Sacerdos, Pater Ioannes de sancta Cruz, qui Rectoris munere in Marcenensi Collegio egregiè perfunctus, Hispali totius domus œconomiam pari omnium consensu, & voluntatum conspiratione gerebat. Coadiutores reliqui, qui prouecta iam ætate multos in Societate annos, nec non in religiosissima viuendi ratione posuerant. Sed cuiusdam in primis nota satis & spectata, tam à domesticis, quàm externis, vitæ sanctimonia. Is erat Martinus de Basseta, integerrimus plane vir, & omni virtutum genere cumularissimus. Cuius si præclara vellem exempla referre; si assiduam rerum diuinarum meditationem, cui nocte, dieque attentus, inter ipsa diurni

operis pensa vix vnquam animum relaxabat; si insignem humanarum rerum despicientiam, quæ cuncta sibi præ Christo stercora reputabat; si incensum paupertatis studium, quo abiectissima quæque in delicijs habebat; si mira denique & inaudita, quæ sibi diuinitus accidere, longiorẽ texere historiam foret opus. Sed hanc mihi eximet curam, quæ in Granatensi Collegio, vbi plures egit annos, diligenter elaboratur.

C O L L E G I V M H I S - P A L E N S E .

LA X I O R multò nostrorum habitatio effecta est, magna domus parte, quæ à fundamentis superiore anno erecta, hoc demùm ad culmen & cumulatè perducta. In ea triplex ambulatio longa satis, infima, media, ac suprema. Binæ illæ clausæ vndique cellis hinc inde dispertitis, commodum nostris domicilium, inferioribus præcipue cubiculis per æstatem præbent. Superior pars vndequaque patens, & agrorum prospectu pascit oculos, & auris leniter aspirantibus ceteros sensus demulcet. Cœpta ædificatio tribus coronatorũ millibus, in nos benigne collatis; progressa atque perfecta aureis sexcentis, qui nobis aliunde ex cuiusdam largitate affluerunt. Martyrum è Societate tabulæ apprimè expressæ, ingentem decorant aulam, quæ recenti ædificio, ad domesticas pijs de rebus cohortationes, media est interiecta. Quidam pro singulari, qua erga Societatem erat benevolentia, annuos trecenũ aureorum redditus, post suum decessum prouenturos, huic Collegio

gio legauit. Pulcherrima insuper umbella, politissimo opere nobis transmissa, quò sanctissimum Christi corpus celebri pompa decentius efferatur. Bibliothecam nobilis librorum congeries (ij aureis statere quingenis) locupletauit. Nostrorum vnus ingenua indole adolescens, iam iam primum artium curriculum initurus, extremum obiit diem. Cuius loco admissi in Societatem sex. E reliquis non pauci, salutis animorum curandæ cupiditate accensi, in Peruanam, ac Philippinas dimitti provincias constanter appetiere. Sex euasere voti compotes; qui magnam sui æmulationem plurimis, desiderium omnibus iniecerunt. Nostri scholastici in plateas, viasque publicas festis diebus excurrunt. Ibi pars seruos, ac mancipia nostræ fidei præceptis imbuunt; pars infimos quosque laceros & pannosos, ad sacrum audiendum in viciniora templa compellunt. Sacerdos noster dum publica incedit via, siue casu, seu diuino potius consilio, in notum sibi hominem incidit, qui apud se olim confessioni frequentius dabat operam. Quæ ut vidit, pia cum illo miscere colloquia, hortari & suadere, ut intermissum confitendi morem in posterum repetat. Nec plura his. Ille sacerdoté actutum seuocat, reteggit se eo loci ac temporis inimico, à quo grauiter fuerat læsus, insidiari; ut domo egressum, incautum & imparatum ferro adortus opprimeret; eius tamen blando sermone delinitum, vindicta iam omnino superfedere statuisse. Nil noster cunctatur: sed nefarium eius consilium suppressens, hominem aduersario in veterem reconciliauit gratiam. Qui mox iacturam in confessionibus factam, & sua, & sacerdotis ingentem cum voluptate refarciuit. Eorum Sodalitas, qui
Christiana

Christianaë fidei capitibus diligentius enodandis, peculiari obstricti officio se addixerunt, crescit, vigetque quotidie, & præclaro virtutum exemplo, complures alios tam pueros, quàm adultos exciuit, vt facta supplicatione, suisque dispersis ordinibus, per vicos & plateas contenta voce, erectoque animo fidei elementa decantent. Videas vniuersam fere urbem, quantacumque est, dies noctesque diuinis cantibus personare. Proiectiores ex ijs, collectitia pecunia multorum indigentium miseriam, & egestatem subleuant. Literaria res, quibus solet incrementis, adaucta. Scholastici ad mille numerantur; quorum profectus in literarum æque ac virtutum exercitatione, licet vulgatus aliàs, nequaquam vulgaris. Argumento est multiplex eorum numerus, qui huiusce sæculi præstigijs vale dicto, varijs Religiosorum familijs dedere nomen. Ij quadragenari censentur. Illud, si reliqua præmittam, neutiquam reticendum; somnium ne, an veram dixeris prænsionem. Scholasticus ad libidinem procliuior, dum nocte correptus sopore cubat; videre sibi in somnis visus est urbem lustranti, impudicam forte feminam, muliebri contemptam ornatu, factam obuiam; quam, oculorum nutu ac verborum lenocinijs allectus, ne inurbani subeat notam, paruo interuallo subsequitur; donec vijs aliquot decursis, domum meretrix ingreditur. Eo mox alacer adolescens irrupit. Cumque propius pone ostium accessisset; illa subito pallæ inuolucrum horribili stridore abiciens, id quod erat, patefecit, execrandum scilicet cacodæmona; qui in serpentem immanissimum conuersus, adunco, proceroque rostro ter-
 terrimum

terrimum fœtorem exhalabat; & imperiti iuuenis stultitiam irridens, ex oculis euanuit. Excitus ille præ nimio terrore, & gelido pauore perculsus, se ad vota, precesque conuertit. Deinde sacerdotem ex nostris adiens, visa per quietem narrat; magnoque animi sensu latebras conscientiaë aperit: confirmat multò se aliter deinceps acturum; quod & præstat; quando confessiones iam frequens inire, Xenodochia inuisere, & alia Christiano homine digna obire munia conspicitur. Sanctissimæ Virginis Sodalitas, tantæ parentis suffulta patrocinio, alumnorum frequentia & probitate roboratur. Ad sacram eius supellectilem casula, duplexque dalmatica accessere, ex leui bombycino concinnatæ, aureo filo, acûque pictæ elegantissimè; quæ quingentis coronatis æstimantur. Porrò Sodalium ardor nobiles adolescentes accendit non paucos, vt ad ipsorum numerum aggregati, eisdem se officijs erga B. Virginem astringant. Sed nonnulli imprimis ex eodem cœtu Sacerdotes ceteris stimulos admouent, seque in omni virtutum actione absolutum præbent exemplar. Hi nostrorum more hominum, pro animorum salute excubantes, & ad ægrotos sæpius, & ad oppida non rarò excurrunt, maximo vtrorumque emolumento. Quidam ex ijs, dum in nosocomio inopem manibus, pedibusque debilem, ad morbi tolerantiam leniter hortatur; ita hominem amoris vinculis irretiuit, vt ad scelerum detestationem pariter & confessionè pertraxerit: vt, qui multos iam annos rubore suffusus, grauiora peccata lethali silentio presserat, totius superioris vitæ cursum accuratè retexens, mortiferum virus euouerit. Sic animi restituta sanitas, corporis quoque mitigauit

rigauit infirmitatem. Alius haud absimili cum hoste congressus, nihilo obscuriorem victoriam reportauit. Nam moribundum iam, & ad extremam cum dæmone luctam sacro oleo delibutum, eò blanditijs adduxit, vt fædissima crimina, per sexdecim omnino annos obtecta retegeret. Alius denique eodem ex Sodalitio, cuius parens fuerat violenter occisus, cum mater & consanguinei, vlciscendam acriter mortem, peruicaci animo clamarent, nec quidquam nostrorum, aliorumque industria, qui se deprecatores adhibuerant, proficeret; ipse demū hanc sibi suscepit prouinciam; nec destitit, donec parentes & affines ita ad clementiā flexit, vt vltro parricidæ noxam condonarent.

C O L L E G I V M A N -
G L I C A N V M H I S P A -
L E N S E .

QUADRAGINTA hoc anno alumni in Anglicano Seminario alti, educatique. Bini in Societatem adscripti; quorum alter proxima & compendiaris via, cælestem in patriam breui conscendit. Sacerdos quoque è nostris migravit in cælum, qui huius Seminarij Oeconomum laudabiliter agebat. Sex in Anglicanam expeditionem profecti; quorum suavis odor ad hoc vsque Seminarium reflatur. multis, qui abiurata hereticorum impietate, Catholicam religionem amplectuntur, fidei rudimenta, & sacra passim mysteria traduntur à nostris. Domestica res quingentis quadraginta coronatis locupletata; sacra, & libraria sexaginta.

COLLE-

COLLEGIUM
CORDVBENSE.

DIEM hîc extremum obiere duo; quorum alter sacerdos, solennem quatuor votorum emiserat professionem. Coadiutor alter domesticis intentus ministerijs; sed strenua in primis in nostros egros sollicitudine: eorum enim assiduam curam annos complures diligentissimè gesserat. In eorum suffecti locum quinque; ex quibus Scholastici duo, Coadiutores reliqui. Nobilium virorum cætus, qui sub Triadis sanctissimæ nomine, hoc anno primùm fuit domi nostræ coactus, nostrorum cohortationibus & publicis & priuatis, secundum Deum referri debet acceptus. Tres iam supra triginta continet; Haud exiguum sanè numerum, si & temporis breuitatem, & Cordubensis nobilitatis insitam acrimoniam spectes. Mensibus singulis semel cælesti se cibo publicè reficiunt; quod ceteros prospicientes, atque adedò suspicientes, honesta æmulatione accendit. Alternis hebdomadis de rebus, ad maiores in virtute progressus spectantibus, inter se conferunt; simulque à sacerdote nostro sacra concione excipiuntur. Sub idem tempus bini constituuntur ex ijs, qui partim opibus, partim presentia sua in carcere detentos, ære alieno liberent, quo plures ex ijs opprimuntur. Sed solennibus præsertim Christi resurgentis ferijs, insignis eorum extitit liberalitas; quippe alienum æs à varijs contractum, ad bis mille aureos dissoluerunt. Eisdem quini suo ordine distributi menstrua cibaria

largè

largè suppeditant : alijs adhuc frequentius subuenientibus. Nec minus benefica Sodalium voluntas verni ieiunij tempore enituit; cum enim ad cuiusdam è nostris concionem publicæ ducerentur meretrices, auctore Deo & adiutore factum est; vt, quod alij frustra tentarant, cunctæ velut agmine facto confessionis tabellâ delatæ, ad tutissimum diuinæ miserationis portum appellerentur. Sodales igitur nulli sibi labore, nullis sumptibus parcendum rati, stipe vndique diligenter coacta, bis centum aureos ad eas in officio continendas fuere partiti. Est & alia antiquior in hoc Collegio Sodalitas, cui nomen à Sancto Spiritu est inditum; hæc alumnos centum quadraginta complexa, eisdem se rebus, ac prior exercet; neque aliquam interim occasionem de alijs promerendi intermittit. Id quod vel maximè sunt experti, qui vinculis constricti asseruantur; ex ijs namque plus minus treceni, quos eò miseriarû rei familiaris iactura detruserat, in pristinam libertatem per eosdem Sodales asserti. Xenodochij item cuiusdam alendi onus suis humeris subiere, quod, cum nulli sibi annui sumptus suppeterent, extrema fere rerum indigentia premebatur. Huiusce Sodalitij diplomata ex Vrbe dimissa, die Dominicæ circumcisioni sacro, solenni ritu in templo nostro promulgata. Affuit Cordubensis Episcopus; qui, quò magnificentius tanti diei celebritas ageretur, sacrum Pontificio more fecit; & Sodales sua præsentia confirmavit. Sacra vasa vicies denûm aureorum æstimatione accreuerunt. Perennes latices subterraneis fistulis, in prædium nostrum suburbanum deducti, magna & prædij ipsius utilitate, & nostrorum oblectatione. Id ipsum Ecclesiastici

clesiastici Senatus ope & auctoritate, in Collegium nostrum propediem factitatur.

COLLEGIUM GRANATENSE.

GRANATENSIS ager fœcundas fatis segetes hoc anno effudit. Nobis quidem Scholasticos sex ingenio tum miti, tum peracuto peperit: vno plus Coadiutores. Tres ex nostris ad superos, vt credi par est, euolarunt. In his Pater Georgius Gonzalez, Seminarij doctor, vir politioris literaturæ, quæ Latinæ, quæ Græcæ peritissimus. Qui tribus solùm, quos in Societate vixit annis, miros in rerum omnium abdicatione, & obedientia fecit progressus. Alter Michael de Valdiuia; qui sexaginta plus annos natus, & vnde quadraginta Coadiutoris munere functus, demùm vitæ piæ sanctæque peracta, defunctus est. Assidua hic orandi consuetudine, ita mentem ab humanis rebus abstraxerat, vt Deum vbique præsentem, dulcissimis frequenter verbis compellaret. Tertius denique Ioannes de Caycedo, superiori ætatis, Societatis, ac ministerij ratione æqualis; nec vitæ integritate inferior: qui ex Hispalensi domo, vbi nouitiorum magistri se comitem magna cum laure gerebat, nuper ad nos hospes aduenerat. Feriatibus diebus videre est ingentem hominum numerum, qui scelera eluendi gratia ad nos ventitant; vix vt domus interdum possit capere: aded confessoriorum cellulæ, gymnasia Scholasticorum, atriumque ipsum præ conferta multitudine redundant. Nec vulgus modò, sed quique ex primo nobilitatis

nobilitatis flore assidui domi nostræ sunt. Nobilium Sodalitas, quæ sub Beatissimæ Triadis nomine militat, mirum in modum est ad pietatem animata; ex eo præsertim die, quo diploma huc Roma aduectum, publicè fuit solenni pompa recitatum. Lætissima hæc lux vniuersæ ciuitati illuxit: Regij auditores inuitati; Præsesque ipse rem diuinam, pro sua in Societatem obseruantia, fecit, & sub finem cunctis Sodalibus cælestem panem impertijt. Alius tenuioris census hominum cœtus est, qui vnà cum duodecim sacerdotibus sexagesimum numerum conficiunt. Horum conspirationis exordia atque progressus, paucis persequi visum est, haud inutile operis argumentū. Quintus hic annus agitur, ex quo multitudo hominum bene magna festis diebus domum nostram pomeridianis horis conueniunt: qui in duas diuisi classes, pij libelli lectionem primo exaudiunt, deinde vnus è nostris cohortationem: postremo ad publica valetudinaria sese conferunt. Bis per hebdomadam ad diui Augustini rectâ contendunt, vbi Christi in crucem suffixi veneranda spectatur effigies, ibique se flagris vehementer cædunt. Præcipuis eorum iam pridem in votis erat, ad aliquam Sodalitatis normam sese effingere. Inter hæc, propter nimiam annonæ hoc biennio caritatem, animaduertunt plures ex ijs, quibus olim honesta res erat, extrema penè indigentia laborare. Subijt illico mentem, horum egestatem collectitia stipe subleuare. Arrisit consilium: proxima nocte, lustrant urbem, & contenta voce victum, alendo inopi verecundo, precario exposcunt. Successit res: postridie ad sacerdotem nostrum de ea referunt. Qui pro Episcopum iubet adiri,

adiri, & facultatem ab eo impetrari: rem sibi
tum vtilissimam, tum Christianis dignam homi-
nibus videri. Exiguus hic fons adeo se vberes in-
riuos effudit; vt præter bisseños sacerdotes, locu-
pletes viri circiter sexageni in id operis seridò in-
cumbant. Triginta fermè ex ijs, dato salutationis
Angelicæ signo, Mercurij ac sabbathi diebus ean-
dem in domum coëunt. Hinc quini per vias pu-
blicas distribuuntur. Vnus è quolibet cœtu cistam
humeris portat, quam reliqui vicissim subeunt.
Alter, qua potest contentione, eleemosynam ad
ingenuos pauperes cibandos exorat. Res felici-
bus auspicijs cœpta, ita Dei ope prouecta est, vt
mensium non amplius septem spatio, plus mille
aureos coaceruauerint. Populus non minori
plausu, quam admiratione, eximiam Sodalium
charitatem prosequitur: dum homines bene-
nummatos, sericis ac damascenis amictos, ad alio-
rum salutem ita feruidos agi, ferrique cernunt.
Decursis celebrioribus vijs, cuncti ad Præfecti æ-
des se conferunt; vbi collatæ pecuniæ, rerumque
ceterarum inita ratione, subductam summam ad
proepiscopum sequenti luce ferunt; orantque
vti inopes sibi, nudosque præscribat, quibus ea
sit pecuniarum vis eroganda. Ille peculiare de-
signat tribus; quarum in pauperes ægrosque,
parochi ipsius interuentu distribuitur. Porrò co-
actæ stipis caput ad calculos reuocatum, argen-
teos modò triginta, modò quadraginta supra
centum sapenúmero conficit; subacti præterea
coctique frumenti, libras aliquando quinquage-
nas. Verumenimvero Christi natalis peruigilio,
cum ob diuturnam temporis siccitatem, pluuiæ-
que defectum, fames Granatæ sæuaret; tanta ta-
men

O

men

men populi totius pietas, tanta effulfit commiseratio; vt ex numerata pecunia trecentos, sexaginta sex argenteos; ex panibus vero ducentas triginta septem libras, Sodales eadem nocte conflauerint: præter maximam farciminis, petafonis, fructuum, pomorumque copiam. Nec defuere qui, cum pecunias offerrent omnino nullas, gladios, quibus erant succincti, inter ipsa verba collacrymati darent. Alius argentea conspilia; pileum alius à capite detractum, in fiscinam magno animi sensu iniecerunt. Alios denique, dum inter cænitandum prætereuntium clamorem excipiunt, ipsa eleemosynæ vox, imis infixæ præcordijs, penitus impulit, vt omnia ad cænam parata, in pauperum sportulam piè, ac liberaliter conferrent. Quibus ex omnibus ingens Societati laus, magna nominis existimatio dimanat, præterea nihil: cum corrogatam vndique stipem, Sodales ipsi vnâ cum proepiscopo, & parochis elargiantur. Mirum est quot, quantisque miserijs & ærumnis, sit hac vna ratione subuentum; Quot, ne diuinum numen iactura pudicitia læderent, fame panè confectæ, insperata nouæ lucis vsura respirarint; Quot in matrimonium honesta ratione collocatæ, quæ cunctis sui copiam prius turpiter fecerant. Granatensis Archiepiscopus eiusmodi rem negauit, nihil ex Societatis alumnis, aliunde originem ducere potuisse. Ipsi proepiscopus, vt qui tantæ pietatis fontem satis experimento comperit, coram nostris hominibus, in hæc admixta lacrymis verba prorupit; Vel ob id vnum hoc me munere fungi gaudeo, vt tantum opus, quâ consilio, quâ auctoritate, quâ incitamento longius proueham. Regij auditores miras etiam in nos laudes

concessere.

congefserunt. Egregij denique ex varijs religiosorum familiis concionatores, non dubitarunt pro suggesto, mirificam hanc erga pauperes & egenos misericordiam, clarissimis testimonijs posteritati consecrare. Præter hæc, bonus Christi odor, quem ex sese tanta charitas emittit, ita longè, latèque diffunditur; vt in hominum penetrans animos, partim acerrimis eos conscientia fodiatis stimulis; partim à turpi voluptatum cœno deterreat. Quidam impudicæ mulierculæ ita se diuturno concubinatu addixerat; vt plurimorum conatus faceret irritos, qui eum ab impura societate frustra diuellere nitentur. Hic dum scorto infelix noctu potitur, Sodalium clamores illac casu, seu diuino potius consilio præteruecti, ac miseris cibaria petentis exaudiunt. Mox subito perfusus horrore; Hi, inquit, in cælum alacres pergunt, nos rectâ ad inferos contendimus. Hæc cogitatio adeo mentem acriter pupugit, vt pellicem protinus tutum in receptaculum dimiserit, & lasciuientis corporis motus seueriore deinceps disciplina compresserit. Alius femina, qua abutebatur ad libidinem, panem, carnes, nummosque sub idem tempus deferebat. Sed obuiam repente Sodalibus factus, eorumque vocibus à proposito retractus, omnia in cistam absque cunctatione deuoluit; Præstat (inquiens) hæc Deo, quam dæmoni conferre, pedemque simul cum mente in posterum retulit. Alius turpem quadriennij consuetudinem, eodem ductus exemplo abiicit. Alius denique, qui litem parenti illaturus ad Granatensem curiam aduenerat, sodalium in alienos charitate edoctus, didicit tandem, quam ipse in suos pietatem retinere deberet. Id vnum restabat, vt ancilla ex genere,

hæresique Turcarum (quod & præstitit) Catho-
 licam amplecteretur fidem ; asserens nimirum,
 eam haud dubiò veram religionem esse ducen-
 dam, in qua tanta erga inopes, abiectosque cha-
 ritas exerceatur. Hæc domi : foris non minori e-
 molumento à nostris elaboratum. Duo in aliquor
 oræ Granatensis oppida egressi, horridam pene &
 squalentem syluam, quò nunquam Societatis
 cultura peruaferat, tanto labore & contentione
 excoluerunt, vt quos initio pòpulus falsò seueros
 rigidòsque putaret, atque adeo præcaueret, leni-
 tate mox, ac beneficijs allectus, nocte dieque audi-
 tissimè frequentaret. Multi à prima ætate noxas
 ritè expiarunt ; eo pectoris animique sensu, vt
 cultissimæ feminae aurum, gemmas, mundumque
 muliebrem, lacrymis affatim pro concione, &
 pro confessione irrigarent. Sed cuiusdam impri-
 mis oppidi immutata repentè facies, cuius inco-
 las, quippe feros, & incultos, vulgus Afros albos
 appellat. Grauissimè hic rixè inter primarios con-
 citatæ, feliciter à nostris compositæ. Incredibilis
 ad conciones audiendas populi totius effusio; a-
 deo vt nostro concionante, non domi se mulier,
 non senex, non in foro miles, non faber in officina
 possit cohibere. Nec in cassum tot abiere ad-
 monitiones, ita enim vitiorum inclinata res est, vt
 vbi peierandi consuetudo impunè hactenus volit-
 tarat, qui iuris dein iurandi religione se astringat,
 inueniatur ferè nemo. Quin & grauissimi quique
 ex prima nobilitate viri, quos iurandi, aut detra-
 hendi labe coinquinari cernunt, eisdem pecunia-
 rum multam dicere solent. Ex his nonnulli Gra-
 natam postea appulsi, sacras Societatis commen-
 tationes, pari & ipsorum vtilitate, & nostrorum
 approbatione

approbatione peregerunt. Quodque pluris æstimes, lectissimi hi flores non exaruerunt subito, sed fructus vegetos æquè atque suaues pepererunt. Nam & ex Optimatibus plures in priuatam se domum quotidie subducunt, piam audituri lectionem; & templum sub vesperum petunt, vt rerum diuinarum cogitationi vacent; & honestiores pauperes, corrogata pecunia, sustentant. Domestica Collegij res hoc maximè anno aucta, & locupletata. Amplissima primum habitatio, iam diu ædificari cœpta, atque intermissa; nunc demum redintegrata contentione surgit, breui ad fastigium peruentura. Deinde nummi aurei plus quingenti à varijs, nostrorum in sumptus collati; Præter trecentos alios, qui ad sacrum instrumentum accessere. Sed eximia valde, & singularis duplicis feminae honestissimæ in nos beneficentia, quarum vna Domina Agnes de Luque, altera D. Antonia de Medrano, Patris Ildefonsi de Medrano è nostra Societate, hæc soror, illa parens; fortunarum suarum, quæ amplius quatuordecim aureorum millibus æstimantur, heredem hoc Collegium, post vtriusque obitum relinquunt. Granatensis præterea Senatus, pro summa in Societatem beneuolentia, oblonga nos muri parte nostris ædibus continente (trecentos ea pedes in longitudinem patet) vna cum fossa ac pomerio donauit. Cuius, præterquam quod area cum primis est ad recentium scholarum ædificium necessaria, parietinæ atque cœmenta ad noui operis structuram, mille aureorum compendio fuere. Maximum denique decus & ornamentum ad bibliothecam accessit, in ea plutei elegantes vndique suo ordine dispositi, & plurima librorum volumina aureorum

COLLEGIVM MON-
TELLANVM CVM
TYROCINIO.

PRÆCIPVA huius Collegij opera in tyro-
num disciplinam impenditur. Annonæ diffi-
cultas, quæ hoc potissimum anno ingruit, nil
obstitit, quo minus scholæ nostræ auditorum
aut numero, aut studio imminuerentur. Huc
plurimi è toto confinio, nostros audituri præ-
ceptores coalescunt. Ex Sodalibus D. Virginis
non pauci, sæculi procellis erepti, in tranquil-
lum se religionis portum abdiderunt. Præter a-
lia Societatis officia, quæ inita olim, pari sem-
per constantia obeuntur; profecti aliquot è no-
stris in obiacentia oppida, magnum animarum
quæstum retulerunt. In his sacerdos ætate,
probitate, ac religione prouectus, dum alio-
rum saluti consulens, vicinam urbem concio-
naturus adit, suam ipse in apertum obtulit
discrimen; in impias enim grassatorum ma-
nus incidit, qui cum nihil, auri aut argenti, vt
falso existimabant, deprehenderent, eum con-
uictijs, calcibus, fustibus malè acceptum ac se-
minudum reliquerunt.

COLLE-

COLLEGIVM MALACENSE.

IACTA hic bonis auspicijs Virginei Sodalitij fundamenta; nobiles id viros continet. Afuit celebritati Malacitanus Præful, qui diuinam rem solemnibus cæremonijs fecit, Sodalesq; omnes cælesti conuiuio paut, Porro Sodalitatis huius vtilitas pluribus argumentis declaratur. Quendam è Deiparæ Sodalitio, dum conscientiaë tenebras accuratius ad confessionem explorat, libidinosa femina, facta repente manu, inuadunt; & pectoris arcem illicitijs quaterere certant: sed ille, vbi lenioribus verbis nil se proficere animaduertit, arrepta Christi in cruce pendentis effigie, tanta vi pudicitiaë oppugnatrices repulit; vt terga ignominiose dantes, amplius subsistere nõ auderent. Alterum familiaris quidam, vt è castimonia proposito deiiceret, ad mulierum impudicarum domum inscium, imprudentemque deduxit. Insidijs ille atque illecebris appetitus, tantum abfuit, vt periculosissimis hostibus succumberet; vt ingenua prouolutus, eas potius verborum pondere, ac grauitate sententiarum, ad impudicitiaë detestationem impulerit. Cum hoc integritatis studio, charitatis ardor de palma contendit. ægris in publico valetudinario & conditos afferunt frequenter cibos, & ea submissione ac sollicitudine ministrant; vt ex laborantium numero quispiam, Sodalium exemplo commotus, vociferarit, lethalis sceleris maculam abolere se protinus per confessionem velle, quam decennio ante contractam

stulta verecundia obtexerat. Igitur superioris vite noxis ritæ expiatis, & sacris imbutus mysteriis, animam efflauit. Alium, quem nocturni dudum terrores, & plurimus in cubiculum lapis intempesta nocte immissus, trepidum & exanimatum reddiderant, in Sodalitatem, generali præmissa confessione, cooptatum, laruæ deinceps incolu- mem reliquerunt. Non Sodalibus modo nostro- rum opera deseruit, sed salutem euigilat cetero- rum. Plurimi abiecta scelerum sarcina, faciles & expediti iter arripuerunt virtutis. Hæc de Sodali- bus: iam de alijs. Vnus præ nimio pudore, cor- poris animique fauces obstruxerat, quominus piaculum grande, multis iam annis admissum, sa- lubri confessione patefaceret. Nec tamen interea Virgineum circulum quotidie percurrere, nec corpus inedia, ac verberibus macerare desistit. Dum his, alijsque distentus, frustra veniam ab of- fenso Deo deprecatur, conspicuam semel lucem sibi visus est intueri, vocemque audire hortan- tem, uti crimen fateatur occultum, Deiparam ni- mirum Virginem impunitatem ipsi à filio affecu- turam: sed alia mox horrendo stridore perso- nans, Tu vero (inquit) ne credideris tantum nefas vlla posse deprecatione deleri. Sed prior e- uicit sententia. Itaque domum aduenit nostram; ubi scelerum egesta prorsus sentina, propitiam si- bi, atque faurricem misericordiæ parentem ex- pertus est. Nostrorum cura exteris etiam natio- nes complectitur, quæ Malacæ frequentes nego- tiantur, vnde nosque ex ijs ab hæretica perfidia ad veram, solidamque fidem traduxerunt. E Scho- lasticis quidam ad alios ordines: tres ad no- stram Societatem se applicuerunt. Vnus migra- uit

vitæ vitam quintum iam & septuagesimum annum
agens, qui viginti quinque in domestica officia
impenderat. Is erat Ioannes de Robles, ad eum
sacra Eucharistia assiduus, ut succisuis horis
ab eius conspectu nunquam decederet.

COLLEGIVM BÆZ- ZANVM.

SACERDOS noster carcerem concionaturus
Sadiuit, tantoque animi sensu omnes pæne vin-
ctos perculit, ut ad animos eluendos, sacramque
synaxim accipiendam induxerit; multi dehinc
modestius se gerere, manu globulos gestare Vir-
gineos, à temeraria iurisiurandi consuetudine
penitus abhorrere. Quadragesimum dierum ieiun-
ium complures quod peragerent vtiliùs, alternis
diebus domum subiere nostram; ubi præmissa pijs
de rebus colloquutione, acerbis se flagris cecide-
runt. Id quod, ne temporis iniuria, aut insolentia
intercidat, semel per annum in hebdomada agita-
tur. Atqui hæc nostrorum opera, hic labor ne-
quaquam nobis inutilia, aut infœcunda fuere, si-
quidem binos ad literaria munera, ad domestica
quaternos Societati pepererunt. Bæzani mirum
est quo animorum studio, & conspiratione erga
B. P. N. ferantur. Id indicant satis votiua tabu-
la ad eius aram affixa; necnon assidua sacra, quæ
ab externis sacerdotibus inibi fieri solent; Deo sæ-
pius piorum votis precibusque, ob Parentis no-
stri merita annuente, ut clarissimis argumentis
testatur. Dæmones enim, ex oppressis diuturna
obsidione corporibus, nonnunquam fugati. Æ-
grotus

egrotus puer ad sanitatem diuinitus restitutus, sa-
 cro vix dū ad B. Ignatij arā peracto. honestissimus
 vir iliaco morbo bis tentatus, toties reliquiarum
 tactione conualuit. Sacerdos noster solemnibus
 Parentis nostris ferijs concionaturus, pridie acer-
 bissimo stomachi dolore correptus, concionandi
 potestatem cum spe prorsus abiecerat; Adhibita
 à medicis potio, aliaque nequidquam medica-
 menta applicata; Iamque medicinales cucurbitæ
 imminebant inurendæ, cum ex Parentis ille san-
 ctissimi siue ossibus, seu vestimento, frustulū sup-
 pliciter osculandum exposcit. Mirum! vix ori ad-
 mouerat, cum dolor velut præsentis numinis ope
 funditus euauit, adeo vt constituto die domi-
 nostræ, sequenti extra urbem habuerit concio-
 nem. Hominis paralyti laborantis diductum, dif-
 tortumque os, ad aurem sinistram miserando spe-
 ctaculo hæserat. Ille B. P. nostri méritis ac patro-
 cinio fidens, appensam è regione ipsius effigiem
 nutibus sibi iubet afferri. Quam simul atque ma-
 nu tetigit, os propriæ sedi restitutum clara voce
 protulit; Sancte Ignati. Eadem obstupescenti pe-
 nitus brachio mox imposta, vigorem candorem-
 que pristinum retulit. Alium acer vehemensque
 morbus inuaserat. Applicito igitur ex B. Ignatij
 veste frustulo, mox spumas æger ingentes ore eie-
 ctabat, quæ abscedente frustulo consistebant. Id
 quater decies factitatum. Accititur medicus, qui ne
 quid ægrotus detrimenti capiat, diligenter pro-
 uideat, Quin imo (inquit ille) hæc eum eiectio
 secundum Deum vi morbi, atque onere eximet.
 Nec vana fides. Breui vegetus, valensque effe-
 ctus, recuperatam valetudinem vni Ignatio refert
 acceptam. Sed licet tanta eius in miseros, suppli-
 cesque

cesque extiterit clementia, impij tamen ipsius nominis irrisores acerrimum interdum ultorem sunt experti. Argumento sit impudens femina; quam, dum B. P. nostri effigiem per ludibrium & irrisionem contemnit, grauis repente morbus corripuit.

COLLEGIVM M A R- C E N E N S E.

RE C E N S adolescentium gymnasium, quod centenos iam vicenos numerat, susceptum studiorum laborem, vbere satis fanore compensat. E nostro gymnasio septem se varijs religiosorum familijs, totidem nostræ addixerunt. Atque præter vnum, qui in Bæthica permansit; duo ad Peruanas, quatuor ad Philippinas Prouincias felici sydere vela dederunt. Ex hoc quasi fonte reliqua pietatis experimenta dimanant. Hinc voluntariæ verberationes, hinc publica Christianæ legis per vias celebriores prædicatio: parentibus scholasticorum mirantibus pariter, atque laudantibus optimam Societatis erga suos alumnos institutionem. Externorum frequentia ad nos, confessionis gratia ventitantium hoc maior; quo Ducum excellentissimorum, Marchionum, Comitumque illustriori excitantur exemplo; Qui omnes domi nostræ cum vniuersa familia Sacramentis crebro se reficiunt. Iam è nostrorum concionibus siue publicis, seu priuatis haud paruus existit fructus. Honestus vir superioribus diebus fuit ferro sublatus: Percussor è templo, quò vt insequentium cluderet

ret

ret manus, confugerat; frustra per grauissimos & ornatissimos quosque, cædis sibi veniam deprecari tentauerat; nostrorum tandem suafione tam occisio, quam aureorum quadringentorum mulcta, quam ei Prætor dixerat, fuere remissa. Duplicis Sodalitatis initia, hoc anno posita feliciter. Illam in oppido finitimo; hanc in Marcenensi hoc Collegio ereximus: Cui nomen, studium, operamque dedit Illustrissimus Comes de Luna, Ducum Arcobrigentium generi, qui primus Sodalitio, suffragijs aliorum præpositus, ceteris vitæ integritate & candore præluet. Huius ope & adminiculo, grauissima ac vulgatissima scelera, quæ passim quotidie serpebant, fuere maturè compressa; pellicatus dissoluti, impudicæ aliquot feminæ & à libidinum æstu reuocata, & ad legitima coniugij fœdera ab Comite ipso dotata. Bis centum aurei domesticam supellectilem, sacram totidem amplificarunt: præter palliolum pulcherrimum quatuor argenteorum millibus æstimatum, quod in sacrarij sumptus, ipsemet Comes solita munificentiâ dicauit. Mortalem vitam cum immortalis commutauit P. Ioannes de Santiago, vir longè ætate prouectus, quippe septuagenarius; sed multo in pietatis & diuinæ commentationis studio prouectior. humanarum hic literarum apprimè doctus, & complures in eis tradendis, consumpsit annos; & senio iam, assiduoque labore prope exhaustus, rhetorices tamen artem, quæ sub eius nomine omnium teritur manibus, edidit in lucem.

COLLE-

COLLEGIVM ASTI-
GITANVM.

EXCIPIENDIS externorum confessionibus nostrorum opera enituit; nec sine fructu, cum multi hoc pacto à veteri flagitiorum licentia respuerint. In his quidam, qui duos & viginti annos hanc animorum respuerat medicinam. Alius lecto periculose ex morbo decumbens, nostrum accersiri iubet sacerdotem. Accurrit statim, reperit hominem longeuum iam etate, corpore grauius, grauius animo affectum; vi morbi pæne consumptum, conscientia aculeis ac sentibus planè discrutiatum, vtpote quem scelerum pondus decennio conflatum, ad inum fere desperationis barathrum depresserat. Sacerdos nutantem stabilire, iacentem erigere, ac perditum recreare. Atque ille, vt recepto spiritu loqui posse cæpit, Ego vero, inquit, aduentante te, prosperè mihi omnia cessura non dubitem. Dum enim pernox, vigilansque varijs anxietatum fluctibus distrahor; quempiam ex monachorum numero euocare decreueram, qui his me nexibus expediret. Sed mihi nescio quis acriter intimo pectore reclamabat, neminè nisi ex vestra Societate vocandum; illum videlicet hanc mihi sollicitudinem erepturum. Nec destitit donec peruinceret. Inuitus igitur, renuensque vestrum aliquem, (id quod nusquam hætenus præstiteram) venire iussi. Hæc ille; simulque venenum tot annis obbitum eiciens, adeo placidus corpore pariter, animoque restitit; vt gestientem pectoris lætitiã cohibere vix posset; Arreptaque.

Arreptaque sapius sacerdotis dextra; Pater (gemina-
 batur) tu mihi salutem affers; tu saluum in-
 columemque praestas. Vix ea; cum inter astan-
 tium manus extremum emisit spiritum. Litera-
 rum studia, quae pestifera saeuente lue hisce annis
 deferbuerant, nunc demum, scholasticis amplius
 trecentis, ad pristinum rediere candorem. Ex his
 aliquot ad varios religionum portus, vnicus ad
 nostram, delati. Clericorum Sodalitas, quae non-
 nullis abhinc annis coepit exordium, insignes facit
 in omni pietate progressus. Sodalibus circiter
 quinquaginta constat: qui, vt alia omittantur, iis
 qui detinentur in vinculis, ea nonnunquam ala-
 critate cibos ministrant, vt ollas etiam, fiscellas,
 ceteraque ad epulum necessaria, per vias publicas
 humeris sublata comportent. Quodq; magis mi-
 rere, scholasticis, puerisque sociati, praecipua fidei
 capita, magna & vocum contentione, & populi
 totius admiratione per urbem concrepant. Virgi-
 nem sine originis macula conceptam, cuius nomi-
 ne Sodalitas nuncupatur, sub Bacchanalium tem-
 pus eadem fere pompa, eademque de causa, ac
 Hispalenses, multiplici celebritate peragunt. Tan-
 ta huius Sodalitatis progressionem quidam e no-
 stris excitatus, induxit animum, vt prima nobi-
 lium coetus fundamenta iaceret. Res erat laboris
 ac difficultatis plena; sed annuente Deo ardua
 quaeque superauit; nec requieuit enim, donec flo-
 rentissimum ex equestri nobilitate stabilijt Soda-
 litium. Scopus, officia, & utilitas, eadem ac ce-
 terorum Sodalium: studium ad virtutis actiones
 capessendas, quo recentius, eo magis incensum
 ac vehemens. Id cum alij non raro experti, tum ij
 praesertim, qui detruduntur in vincula: ex qui-
 bus

bus deni, duodeniue per hebdomadam Sodalium opera liberantur. Inflammat hic ardor multos, & honesta æmulatione sic trahit; vt fuerit inuentus non nemo, qui pecuniarum vim sane magnam, ad eiusmodi munera exercenda Sodalitati legaret.

COLLEGIUM TRI-
 QVERENSE, XEREZA-
 NVM, ET GADI-
 TANVM.

TRES obiere, duo domesticis officijs dabant operam; animorum tertius incolumitati & saluti. Is erat P. Balthazar Lopez? spectata virtute senex, qui quatuor & quadraginta annos apud nos, egregia cum laude traduxerat. Cernebatur in eo præ ceteris, infatiabilis quædam externos iuuandi sitis, qua audiendis confessionibus noctu diuque inhiabat. Quoque magis corporis vires ætate ingrauescente refrixerant, hoc magis ardor animi studiûmque calebat. Societatis munia castè purèque suscepta, nō vulgares fecere quæstus. Nam & aliquot hoc pacto ad nostram allecti consuetudinem, quam antea non parum abhorrebant; discordiæ sedatæ; odia exstincta: In quodam præsertim confinij oppido, quo Ducis Metinensis rogatu euocati nostri, & publicis & priuatis cohortationibus effecere tandem, vt diuturna dissidia inter primarios exorta, obliuioni penitus mandarentur.

CONFESSIONIS & Eucharistiæ vsus Xeresij solito frequentior. Huc omnes Ordines confluunt; sed Nobilium imprimis, qui plurimos in hac

hac vrbe est. Ijs omnibus aliquando persuasum à nostris, vt publica celebritate Christi corpus vnà communicarent, quo & diuinum placare numen, & amenti telluri pluuiam facilius impetrare possent. Res pro votis accidit. Illi tamen nequam contenti, hæc pietatis documenta dedisse, vt æterni Parentis iras, gliscente fame, minitantis flecterent, celebrem instituunt supplicationem, qua totius vrbis Equites bipartiti, Christi in Cruce pendentis effigiem præferant. Exorant à P. Rectore, vt & sibi met è nostra prodire domo, & nobis per urbem prosequi liceret euntes. Procedunt igitur linteati fere omnes, sagati nonnulli, penitentium ritu humiles ac demissi; ea modestia ac taciturnitate, vt ex spectantium oculis lacrymas excusserint non paucas. Porro duplex Nobilium & Clericorum Sodalitas, magnum affert ornamentum ciuitati. Illi, qui Triadis Sanctissime nomen sibi vendicant, indigentium subsidia accuratissimè suscipiunt; vsque adeo, vt ex eis quadragenos è custodia liberarint, binosque pauperum curatores decreuerint, qui eorum causas tueantur, & agant. Nihilo inferior Clericorum Sodalitas, aut alumnorum splendore (quippe qui Canonici & Portionarij ex eodem numero nonnulli) aut honestatis sectandæ contentione. Literarius ludus plures hoc anno capit, eorum aliqui varia sunt religiosorum ordinum instituta complexi, nostrum, duo. Sacrarium quadringentorum fuit nummum coronatorum pretio ditatum. Etenim præter casulam pulcherrimam rigenti auro intexam, elegantissima etiam pyxis ad Christi corpus ritè asseruandum è solido argento conflata. Ad hæc leuis bombycina puero I x v opere plumario

plumario facta. Annuū item collegij vectigal vir locuples iam iam moriturus mille aureis in annos singulos legatis auxit: Cui pro insigni hac beneficentia fundatoris nomen detulimus. His & aris alieni pondus dissolutum, & domus angustiae redditae laxiores.

A DVENARVM imprimis saluti, quā in Gadi-tanum Emporium confluunt plurimi, à nostris est diligenter prospectum, Ad quos familiaritate & consuetudine facilius alliciendos, Pater quidam linguarum peritus destinatur. Collegij rem centum triginta aurei quot annis cumularunt. Gadi-tanus namque Senatus areæ nobis partem gratis tribuit, vbi binæ erectæ tabernæ, totidemque in-stauratæ, hunc nobis æstimationis censum pen-sitant. Præter hæc sexcentos amplius coronatos optimè de Societate meriti, in tanta fortunarum iactura nostræ non immemores, contulere.

COLLEGIUM MA- ZORLANVM.

DVos nobis Deus ex fratribus abstulit; at-tulit totidem, qui morientium desiderium compensarunt. Non Cazorlani modò, sed finiti-timi etiam, qui pluribus obiacent oppidis dis-sipati, nostrorum operæ fiunt particeps. Gra-ua inter oppidanos dissidia tum alias, tum bis potissimum sublata, cum aliter per Recuperatores ad id præmissos decernenda res esset. Bacchana-lium celebritas hoc demum anno felicia cepit ex-ordia. Sacer templi ornatus centum aureis excre-uit, at domus suppellex octingentis, montalis cu-
P iusdant

iusdam obitu, quæ quas incolimus ædes perpetuo nobis nexu mancipauit. Viget maximè Cazorlæ aduersus B. P. N. Ignatium pietas ac religio: viget Parentis ipsius in Cazorlanos vicissim benignitas & gratificatio. Vtriusque argumenta perspicua satis anno superiore retuli, nunc paucaligam è multis. Religiosæ feminæ facies a deo erysipelate intumuerat, vt clausos omnino oculos aperire nequaquã posset. Cæterum vbi P. nostri effigiem orï suppliciter admouit; morbus, tumorque repentè abscessere, moxque grates pro tanto beneficio actura templum nostrum aduenit. Id non semel, sed quater in anno factitatum. Eidem ilium primò, lateris deinde vehementer dolore pulsata, post venam sæpius incisam, multaque irrita medicamenta, hæc demum cælestis medicina præsentissimam opem, salutemque tulit. Quibus illa experimentis P. nostri merita, ac beneficentiam in suos edocta, nullam de alijs benemerendi prætermittit occasionem, quin efficax id remedium desperatis eorum morbis adhibeat. Iccirco ad germanã sororem, grauissimo stomachi dolore diu laborantem, B. Ignatij mittit imaginem, simulque hortatur, vt eius auxilium fidenter impleret. Acquiescit illa dictis. Igitur vt primùm affectæ parti applicuit, votumque ritè nuncupauit; dolor in nihilum extemplo recidit. Aliam feminæ eiusdem sororem, crebra ac diuturna vitiligo, molestus sane morbus, toto fere corpore peruaferat. At germana veteris medicinæ non immemor, consulit vti P. Sanctissimi effigiem sibi asciscat, opemque ab eo præstò futuram ne dubitet. Nihil cunctatur soror; sed certum capit in re incerta consilium. Vix dum præstiterat, cum morbi

vtriusque

vtriusque impetus numinis praesentis vi depulsus,
 integram deinceps, saluamque dimisit. Alia deni-
 que e vicino oppido femina, prioris consobrina,
 iam pridem aqua intercute miserandum in mo-
 dum conflictabatur; quodque miserius longè &
 periculosius est, lenta phthisi prope assumpta,
 omni prorsus valetudinis, resarciendæ destitueba-
 tur spe. Hanc inuisit consanguinea; ægritudine
 fractam & afflictam leni sermone solatur; laban-
 tem spem, vel collapsam potius, erigit; tantùm se
 B. Ignatij fidei ac patrocinio committat, cuius mi-
 randa facinora totus vbiq; terrarum orbis suspi-
 ciat ac veneretur. His dictis discedit. Sed illa con-
 silij tenax, præmisso statim coniuge, Ignatij effi-
 giem sibi afferri præcipit. Aduolat ille Cazorlam,
 inuenit, affert, vxoris pectori imponit. Quæ tan-
 ti hospitis aduentum improvisa valetudine præ-
 sentiens, aqueum extemplo humorem hydropis
 fontem, vnâque febrim cum phthisi penitus eie-
 cit. Sospes itaque & incolumis effecta, pristinum
 succum, natiuumque colorem, si vnquam alias,
 breui ceteris stupentibus induit. Templum dein-
 de ingressa, vt acceptam B. P. nostro referret gra-
 tiam, quadringentos ei aureos donauit.

COLLEGIVM VBE-
 DANVM ET FREXE-
 NALENSE.

VBE DI honesta femina obitu, mille nobis
 coronatorũ summa obuenuit. Frexineti con-
 iuges duo nobilissimi post mutuam complurium
 annorum coniuctum, post coniugij fœdera inte-

grè, purèque seruata, post filios ex matrimonio susceptos, vt Deo plenius vacarent, nostrorum opera fecere diuortium; atque illa in sacrum monialium cœtum ingressa, hic clericorum veste suscepta, literis dat operam, mox sacris ordinibus initiandus. Duplex ad nostræ domus ædificationem via, pridem nobis à Frexenalensi conuentu fuerat dedita. Nostri tempus adesse aptum rati, quarto idus octobris alteram obstruere decreuerunt, iamque erecto pænè aggere, vicinus quidam lenibus de causis, sed minus æquo, vt creditur, animo, intercedit, & opus impedire pro virili parte conatur. Causatur suæ domus pseudothyrum ad eandem spectare viam; quod tamen post hominum memoriam, luto & latere obditum omnes norant. Refert ad magistratum; reicit hic libellos, Societatis pariter & æquitatis memor. At ille impatiens repulsæ vociferatur, nudis licet pedibus in Curiam se regiam iturum, nec destitutum, donec Regis iussu erecti prouantur parietes. Ad hæc, sequenti se nocte referaturum posticum, & ad humum aggerem afflicturum. Conducit operas, conuocat socios & ministros facinoris, nocte intempesta aggressurus. Sed mortales nequidquam machinationes parantur, cum cœlitum obstat consilium. Ignorabat infelix diuinam sibi impendere vindictam, Deumque ipsum suorum vallum & stationes defendere. It cubitum, mox surrecturus. Ceterum quî sanus, valensque accubuerat, summo mane exanimis, ac planè mortuus in lecto reperitur. Quodque lacrymis & commiseratione prosequendum, nullis fidei sacris præmunitus abripitur miser. Horrescunt reliqui, inopinato casu obstupefacti, & alieno capi-

te docti malo incepta damnant. Foris etiam fructuosè laboratum. Nam primarios oppidi cuiusdã viros, pristinis & capitalibus inter se odijs disidentes, sacerdos eò profectus ad mutuam conspirationem reuocauit, incredibili totius populi plausu, nostrorumque hominum commendatione. Et aliò bini sacerdotes dimissi, exiguo dierum impendio, dici vix potest quanta fecerint animorum compendia; quot perfractis inepti pudoris repagulis, quibus miseri tenebantur obstructi, latentia pectoris arcana, animique vlcera resecanda prodiderint. In his fuit femina magno natu, quæ triginta fere annos turpe crimen erubuerat confiteri: sed pungentibus tandem, ac maiorem in modũ fodicantibus conscientie stimulis, cum semestri spacio in templum frequenter itans, opem à beatissima Virgine ardentius postulasset, visa est per noctem admoneri, vt Frexinetum peteret, & alicui è Societate confiteretur. Quod exequi prope diem cum cogitasset, nostros adesse intellexit, auidèque conuenit, ac postridie, vt condictum erat, totius vitæ noxas integrè eluit. Quò diuuisse, diuina vox creditur. Nam ea nocte, quæ confessionem præcessit, rimanti studiosiùs latebras omnes conscientie, & Virginem, ne quid fallere memoriam sineret, vehementiùs imploranti, crimen aliquod nominatim suggestum est, quod in teneris annis patratum prorsus exciderat.

COLLEGIVM GVA-
DIXIENSE.

INCHOATA hic Sodalitas, cui ciues non pauci dedere nomen. Hi diuinis cohortationibus, pijq; libelli lectioni feriatis diebus dant operam, & corpori flagellis domando, bis per hebdomadam domum nostram coguntur; ad egrotos & inuisendos sapius tendunt. Quos etiam summa rerum difficultate laborantes, lectulis, cultriciis, stragulisque coemptis magno & ægrotantium commodo, & urbis commendatione fouerunt. Itum præterea ad publicas frequenter custodias. Ibi victorum corpora epulis Sodales, animos nostri sacris mysterijs non raro reficiunt. Vnus ex ijs nostrorū opera ex ipsis pænè orci faucibus ereptus, atque adeo ex imminente sibi morte, cui propediem addicendus inimicorum inuidia credebatur. Causæ insuper inter litigantes, eæque graues compositæ. Aeris alieni magna vis ad proprios dominos, vnde defluxerat, redijt. Femina honestis orta parentibus, quæ ab eorum splendore desciscens, pudicitiam turpiter in fornice prostituerat, ad melius vitæ institutum, ac domicilium traducta. Frater discessit è nostris, alius in nostrorum numerum relatus.

COLLE

RESL

RESIDENTIA AN-
TIQVARIENSIS.

NOSTRI per magnæ siccitatis & inopiæ fru-
gum occasionem, oppidanos facile induxere,
vt tributim partiti à Senatoribus ipsis ad infimos
vsque cerdones, supplicationes instituerent, seque
scelerum expiatione, & sacro Christi corporis fer-
culo aduersus cælestes iras obuallarent. Quin &
quæ alternis diebus verberationes fieri solebant,
eas angustiis prementibus in quotidianas trans-
ferri libuit. Sacerdotis nostri conciones, quadra-
gesimæ præsertim tempore, ingens fuit vtilitas
subsecuta. Confessiones ab ineunte ætate repetitæ
complures. Quaternæ ex prostibulo mulierculæ
in feminas honestissimas repente immutatæ. Pueri
pias edocentur cantilenas, quò impuras & lasci-
uas dediscant. Id non minus vtile grandioribus,
quàm iucundum. Nec defuit quispiam, qui cum
noctu lethale facinus admissum, viam forte tran-
siret, audita pueri cantiuncula, gradum à conce-
pto scelere reuocarit. Sacerdotes bini Astapæ,
quò fuerant dimissi, sesquimensem commorati,
Societatis muneribus, & retibus imprimis con-
cionum tantam piscium cepere vim, vt Astigita-
nis sociis annuere opus esset, ex quibus vnus eò
profectus, opem laborantibus tulit. Atqui vix
tres simul, ac ne vix quidem, totam extrahere va-
luere capturam. Nobilis imprimis puellæ peruti-
lis & opportuna fuit vitæ retractatio. Hæc per ni-
miam licentiam atque lasciuam, hominum ani-
mos ad turpem sui illexerat consuetudinem, ma-

gna populi totius offensione. Ea re parens ipfius, vt infamem & adulterinam expulerat. Sed concionatoris verbis adeo acriter illius mentem pupugit Deus, vt in fletus, lacrymasque liquata, anreactæ vitæ maculas generali confessione detulerit. Perditissimus homo, qui Christianam abiurata fidem, & Mahometicam impietatem sectari præfracto animo decreuerat; à nefaria mente deterritus, & in veteri, verâque religione magis, magisque firmatus.



P R O V I N C I A
S A R D I N I Æ.

NVMERAVIT hoc anno Sardinia in quinque domicilijs, quorum quatuor Collegia, & Domus vna probationis, Socios quadraginta supra centum; è quibus Sacerdotes quadraginta octo, & ex his decem Magistri, Scholastici viginti, è quorum numero sex Magistri; Coadiutores quadraginta octo; Tyrones septemdecim. In Collegio Sassaritano quadraginta quinque; In Calaritano duobus minus. In Vallecclesiensi decem; In Algarensi duodecim; In Domo Probationis Calaritana triginta. Duo abierunt ex hac vita; quinque in Societatem cooptati sunt.

COLLE-